



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De Gvbernatione Spirituali. Pars Prima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

miliam spectant, quæque tum generatim, tum particulatim ab omnibus seruari debent: sed quoniam de familia superiori & inferiori statim sermo incidit; hoc loco familiam utramque declarare visum est.

Familia superioris appellatione vocentur Vicarij, Fisceales, Notarij, Visitatores, Auditores, Canonici, rei domesticæ Rectores, cubicularij, Sacerdotes, & Clerici in sacris constituti.

Inferioris verò, Clerici sacris nondum initiati, alijque laici omnes, varijs rei domesticæ muneribus implicati.

### DE GOVERNATIONE Spirituali.

#### PARS PRIMA.

Oratio mentalis, diuinum officium, & alij preces.

Primum quidem qui maius officium tenentur, neque residentiæ addicti sunt, mane in antecubiculum Reuerendis.

Archiepiscopi conueniant. Ibi primum conscientia examinanda quartam horæ partem tribuent: deinde Romani, & Ambrosiani separatim matutinas horas voce submissa quidem, sed clara, distinctè, attentè, religiose recitabunt.

Inferior verò familia quotidie item mane sub auroram, ad Matutinum officium & horas Beatissimæ Virginis Mariæ persoluendas in oratorio decenter conueniat.

Quare quo tempore campana triplex Matutini officij dabit signum, ad primum quidem signum familia se vestiat, ad secundum in oratorium conueniat, & per id tempus vsque ad tertium signum aliquid piè meditetur circa puncta proximo superiore vespere data, de quibus suo loco dicetur.

Tertio autem dato signo, Matutinum officium statim inchoet, quo perfecto horarum subinde preces persoluat.

Diuinis laudibus persolutis, eadem inferior familia tota in Ecclesiam maiorem Missam auditura sese recipiat: si quis tamen horum per id temporis fuerit aliquo modo legitime impeditus, is domi manere nequaquam prohibetur.

Similiter qui de numero superioris familiae esse dicuntur, Missæ Sacrificium quotidie opportuniori tempore vel audiant, vel faciant si Sacerdotes sint: illi tamen qui Reuerendis, Archiepiscopum comitantur, veluti cubicularij, subcubicularij, famuli a pedibus, Missam ab eodem Reuerendis. Domino audiant omnes, vbi ipse illam celebrabit.

A prandio qui primæ mensæ accubuerint, siue ex inferiori, siue ex superiori familia fuerint, in oratorium ascendant omnes ad Litanias enunciandas; post quas qui superiori quidem sunt conditione, si placet statim exeant; alij quoad vespere completorijque preces persoluerint, ibidem commorentur.

Ad signum præterea, quod propter institutionem Christianæ vitæ hora opportuna quotidie dabitur, hyeme quidem ante cœnam, æstate verò a prandio, quicumque ex inferiori sunt ordine, in oratorio præsto sint.

A cœna verò qui primi fuerint cibis refecti, utraqueque sint conditione, conferant se in suum vtrique conclaue, ibique Spiritus sancto dictare, aliquid quod ad ipsorum animæ salutem spectet, ad finem vsque secundæ mensæ inuicem pertractent, pios alios inter se sermones conferentes: qui quidem, cum postremi venerint qui secundæ mensæ accubuerunt, locum illis concedant; quò illi quoque per quartam horæ partem munus idem obire inuicem valeant.

Quoties huiusmodi spiritualis colloquutio fiet, familiae superiori ad sit spiritualis Præfectus; Inferiori verò, qui illius vicem gerit.

Cum ite spirituali huic colloquutioni Vicarius Generalis interfuerit (qui quidem vnà cum alijs Vicarijs quam sæpissime fieri potest, adesse debet) illius sit munus, proponere de quibus rebus colloquendum erit; præcipereque, ne quis nisi monitus loquatur, ac præterea longiores refecare sermones, & questiones tollere: tum, præsertim illud semper seruare debebunt confidentes, vt a Vicario ex ordine moniti, quid præcipue animum suum meditando mouerit, quamve consolationem illis Deus

Doctrina Christiana

Colloquutiones spirituales.

com-



communicauerit, breuiter humiliterq; respondeant.

Ante eiusmodi colloquutionem, qui prestantior tum in coetu fuerit, statam orationem recitet, atque inde colloquutioni initium faciat.

Post piam eiusmodi sermonis communicationem, & datam iam orationis habende signum, in oratorium utraque familia tota conueniat, ibique per quartam horae partem exactu conscientiae examen faciat. quoties tamen Reuerendis. Archiepiscopus domi fuerit, neque orationi interesse poterit, apud illum cubiculi magister solus, vel cubicularius alter manebit.

Examine hoc perfecto, ad puncta, quae quotidie de more proponuntur proximo sequenti die matutino tempore meditanda, vnusquisq; mentem intendat.

Mox facta super omnes aquae sanctae aspersione, abdat se vnusquisque in suum cubiculum, nec varijs locutionum ambagibus quisquam alios remoretur, aut perturbet.

Caveat Domini quoad eius fieri possit, ne sine iusta causa famulos impediant, quominus omnibus his spiritualibus officijs interesse queant.

Famuli vero, cum iusta de causa impediti, adesse huius exercitationibus non poterunt, apud spirituales Praefectum, aut eius vicegerentem absentiae rationem reddant.

Praeterea prima quaque cuiuslibet mensis Dominica die, & solennioribus item totius anni diebus festis, in Ecclesiam maiorem conueniat utraque familia tota, praeter sacerdotes, ut ibi sacram Eucharistiam sumat.

Eam Missam dicet, atque Eucharistiam ministrabit praefectus spiritualis, vel eius Vicarius.

Die autem Sabbati, quae antecedit primam hanc mensis cuiusque Dominicam diem, & in vigilijs item solennium dierum festorum, ad Diui Antonij eodem, aut Barnabae, aut Fidelis, aut sancti Sepulchri familia ipsa tota, ut sacerdoti peccata confiteatur, adeat; cuius confessionis fidem ex confessarij chirographo eodem die vesperi spirituali praefecto faciat.

Qui vero sequenti die ante communionem faciendam rursus confessario indigerint, adeant eos, qui in Ecclesia maiori cura Praefecti spiritualis ad id deputati praesto erunt.

Quadragesimalis victus initium a secunda feria post quinquagesimam faciant; Ieiunij vero, a secunda feria post Quadragesimam.

Quare per omne Quadragesimae tempus, Dominicis diebus exceptis, semel tantum in die post meridiem cibum capiant.

Quod si quid alicui amplius opus erit, vesperi panis vnciam cum dimidia, & vini poculum tantum capere liceat.

Quod item in reliquis vigilijs ex praescripto Ecclesiae, & sacris quatuor anni temporibus, & triduo post Ascensionem Domini, omnino seruandum erit.

Per aduentum autem, secundum antiquam Ecclesiasticorum hominum consuetudinem, cibis quadragesimalibus vtantur: si quis tamen per idem temporis propter infirmam corporis valetudinem ipsidem cibis uti tuto non poterit, necessitate Praeposito significet; qui ut opus censuerit, de congruentibus cibis prouideat: quibus quidem in cubiculo priuatim erit vescendum.

Sexta quaque feria a coena abstineant, acetario cocto crudoque pro anni tempore, & fructuum praeterea portiuncula contenti, Paschali tempore excepto, & item Natali Domini, si incidat.

Quod si in eadem feriam festum incidat, ex praeposito celebrandum, tunc die praecedenti ieiunium instituat; si tamen haec quoque dies festiua non celebretur: si vero Sabbati die ieiunandum erit, liberum sit cuique ieiunium sextae feriae ommittere, & coenam sumere, si ab ea abstinere sine valetudinis damno non possint.

Praeterea sexta quaque feria vesperi per hyemale tempus disciplinam persoluto conscientiae examine in oratorio mox adiungant.

Quarta quaque feria, Natali pariter excepto, si inciderit, ab usu carnum omnes abstineant; & vigilijs praeterea sanctorum Mediolanensis ecclesiae Episcoporum; atque die item, quae solennitas est.

Con-

Examen eo  
scientiae, &  
puncta.

Confessio, &  
communio.



Concilij tam Provincialis, tam Synodalis antecedit; necnon diebus omnibus quibus Synodus ipsa absoluitur.

Atque eiusmodi quoque victus ratio, quod ad ieiunium vel abstinentiam spectat, non a domesticis tantum, sed ab exteris quoque omnibus qui hospitio domi recipiantur, seruanda erit; neque enim hospites antiquum eiusmodi domus religiosumque viuendi institutum violare, sed potius ad ipsum sequi; suamque familiam conformare decet.

Veruntamen ea cautio adhibeatur circa hospites ipsos, ut cum ieiunandum erit, si quando illorum quempiam mane non pransum esse contingat, cœna concedatur.

Item si tempore aduentus quispiam propter stomachi imbecillitatem a quadragesimalibus cibis abhorreat, pinguioribus congruentioribusque parentur. Atque item feria sexta si solidioribus quis indigeat cibis, eius necessitati satisfiat. atque tum quidem cum a domestica victus ratione discedendum erit, ijs certe victus in cubiculum deferendus erit.

Clerici, & alij ad diuina officia dieb. festis conueniant.

Sacerdotes, clericique inferiores, qui alicuius ecclesie seruituti speciatim sunt adscripti, in singulis festis diebus ad eam se conferant: cæteris vero qui nullis adhuc ecclesijs speciatim sunt additi, etsi Sacerdotes sunt, maiori ecclesie adscripti intelligantur. quare in eam festis diebus veniant suis induti superpelliceis, ut pro ordinis ratione in Missa Decimanorum suas functiones exequantur, aliaque munera, quæ illis a Præfeto chori de mandato Reuerendiss. Archiepiscopi præscripta erunt, sacramque Eucharistiam in eadem ecclesia sumant, quibus diebus id facturi erunt.

Hi præterea omnes, cum in domum recipiuntur, sibi de superpelliceis provideant, quibus vtantur, cum illis opus erit.

Vicarij, Fiscales, & Visitatores, cum illos ad ecclesiam maiorem venire contigerit, qui alio nomine choro adscripti non sunt, sine superpelliceo in suo habitu maneant, ut expeditius possint vltro citroque commeare ad varias ecclesias, prout suo officio opus esse cognouerint. Quoties Sanctissimam Corporis Christi

Eucharistiam infirmo alicui domestico afferri contigerit, luminibus accensis ad id munus tota conueniat familia.

Idipsum agat tertia quoque mensis Dominica, cum Sanctissimum Corpus Domini per ecclesiam maiorem deferretur, a confratria associatum, quæ a Dominico ipso corpore nomen desumpsit.

Illud item prætet prima cuiusque mensis Dominica, cum per eandem ecclesiam in honorem Beatissimæ Virginis Rosarij processio fiet.

Habeat in suo quisque cubiculo piam aliquam, aut Iesu Christi D. N. aut Beatæ Virginis Mariæ, aut sanctorum alicuius imaginem; aquam præterea benedictam; nec profanam rem vllam teneat, quæ scandalum aut malum exemplum spectantibus possit afferre.

In cubiculo domesticorum, externorum conuentus ne fiant, neve tempus inanibus colloquijs otiose conteratur. Priuatim vero cautum sit, nè clerici ex Seminario in domesticorum cubilibus versentur, neve domestici se in Seminarium, nisi negotij causa conferant.

#### De Præfeto Spirituali.

Præfetus spiritualis illud semper magis magisque cogitet, turpe esse, hominem, qui in alios animaduertere debet, redargui culpa; & quam aliorum seruare vult, ipsum non exercere disciplinam: sibi propterea, cui rerum spiritualium curam gerendi onus incumbit, & in via morum, ecclesiasticaque disciplina alios continendi, ita viuendum esse, ut non modò omni reprehensione careat, sed à seipso præsertim pietatem, humilitatem, mansuetudinem, ac demum ecclesiasticæ vitæ normam omnem familia omnis ediscat.

Illud in primis curet, ut quæ ad spirituales progressum spectant, rectè, decent, pieque fiant; tum quotidianæ exercitationes, atque alia item alijs destinata temporibus, statutis horis seruentur: sed maximè familie paci studeat, animorumque tranquillitati; vitam moresque præterea vniuscuiusque spectet, præsertim familie inferioris; ut cum opus

Imagines  
& vas aquæ  
benedictæ  
in cubiculo.

erit



est correctione, piè opem ferat. quæ quidem in re istud quoq; ad ipsum spectabit, si quâdo ab erroribus quempiam familiæ inferioris posse auocari desperet, vel alium quemque diligenti indigere cura, Præpositum commune facere, qui desperatum eiiciat, indigenti vero, alterius domestici pii viri opera auxilietur, illi hunc commendans, in eiusque disciplinam tradens.

Pro diuersa temporum ratione, horam præscribat clerico oratorio inseruienti, vt trino campanæ signo familiam ad oratorium accersat, ad diuinas laudes persoluendas.

Illius quoq; cura sit, opportunum tempus eidem clerico decernere, qui eodem signo familiam quotidie ad institutionem vitæ Christianæ conuocet. Cuius quidem exercitationi, vel ipse, vel qui ipsius vicem gerit, intererit, vt eiusdem Doctrinæ punctum aliquod declaret, quod ex precatione Dominica, aut Decalogo, aut Symbolo, sumi poterit.

Eius quoque intererit, deligere decuriones nonnullos, ex his qui in eadem doctrina prouectiores habebuntur, qui minus instructos erudiant: Hos verò rudiores varias in classes diuidere, & cuique classi subsellium in oratorio tribuere; vbi sub suo quisque decurione iugiter se exerceat.

Vesperis curet, ut puncta proponat is sequenti die meditanda, cuius intererit: quibus quidem propositis familiam commonefaciat, vt orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ter quisque secretò dicat, gratiam aliquam à Deo petiturus, maximeque in domesticarum rerum angustiis.

Eiusmodi autem punctorum materiam perpetuò seruari studeat. Die veneris qui antecedit primam cuiuscunq; mensis Dominicam, in qua sacram Eucharistiam vniuersæ familiæ sumendam esse diximus, circa Altaris Sacramentum puncta proponantur: cæteris autem veneris diebus circa Domini passionem, ut ea ratione præparatio congrua fiat disciplinæ mox post proposita puncta faciendæ. Diebus autem Sabbathi, & Vigiliarum item ab Ecclesia statutarum, proponantur puncta ex Euangelio, quod sequenti

die in Missa secundum Ambrosianæ Ecclesiæ ritum legitur.

Idemque seruetur per totum Quadragesimæ tempus. Reliquis autem totius anni diebus omnibus accepto Euangelico contextu legatur quotidie particula illius, quam iustam esse censebit is, qui proponet, seruata semper continuatione contextus ab initio vsque ad finem: eaque lecta, primum secundum simplicem verborum sensum, qui literalis sensus vulgò dicitur, explicatio subiungatur: Deinde paucis verbis ex ea tria documenta colligantur, quæ materia sint longioris meditationis, sequenti die vt diximus, ab vnoquoque exercendæ.

Tabellam habeat, in qua eorum nomina ordine sint descripta, qui ad illa ipsa puncta proponenda idonei censebuntur, eumque cuius intererit, singulis Sabbathis moneat, vt sequenti hebdomadæ fungatur officio.

Punctatorem deligat piû diligetemque, qui quotidie illos ex inferiori familiæ notet, qui statò tempore in oratorio ad horas, gratiasque Deo persoluendas interesse neglexerint, atque absentium nomina ad Vicarium quotidie deferat; qui illos, nisi iusta de causa abfuisse constiterit, per cibi subtractionem puniat.

Prima quaque Dominica mensis à tota familia domus confessionis schedulas sibi afferri, & qui facere omiserint, ad Præpositum deferri curet.

In coenaculo tam mane quam vespere, præter lectionem scripturæ sacræ, & Martyrologij, librum aliquem Italico idiomate conscriptum legendum proponat, quæ pro ratione temporum solenniumque dierum magis cõuenire censuerit: quod verò ex sacris Bibliis, aut ex Martyrologio legetur, stando & detecto capite semper legi; quod ex aliis Reuerendissimo Archiepiscopo absente, sedendo & capite operto, at illo præsentem, stando, detectoque capite similiter legi procurabit. Infirmorum diligentissimam curam agat, sæpè inuisat, consoletur, necessitates eorum, tum ad corpus, tum ad animam spectantes cognoscat, atque illis vt peropportune subueniatur, pia omni ratione curet; Medicos, Confessoresque accerseri iubeat, atque quotidie cum ingraue-



scit morbus, vocari aliquem ex Patri-  
bus Sancti Antonij, vel Barnabæ, vel  
alterius familiæ, qui illos confoletur,  
piæque alia præstet officia.

Nullum demum à se desiderari officium  
patiatur, quod ad eorum valetudinem  
rectè curandam, animamque iuandam  
pertineat.

Cùm præfulem aliquem illustremve per-  
sonam in domo hospitari contigerit, ve-  
spertinam orationem ante cenam fieri  
(quæ alias omitti necesse est) sedulo curet.  
Disciplinam, quæ sexta quæque feria per  
hyemale tempus erit facienda, si quan-  
do ob Lunæ cæterorumque astrorum  
splendorem, quominus in oratorio fiat,  
impediri eueniet, aulam ante oratorium  
positam parari curabit, in quam se con-  
ferat familia, pium istud obsequium Deo  
præstitura.

De Præfecto Oratorij.

**P**ræfectus Oratorij hæc curet dili-  
genter.

Pro ratione temporis, & dierum solen-  
nitate, orationum apparatus, ac ornetur,  
coloresque varientur.

Cùm Reuerendissimus Archiepiscopus  
domi aderit, subsellium perpetuo para-  
tum in oratorio statò loco seruetur.

Cùm præfules item, præstantive digni-  
tate viri hospitio suscepti domi mane-  
bunt, iuxta illorum conditionem sua quo-  
que subsellia in oratorio præparata sint.

Cùm per eos præfules Missæ sacrum fiet  
in oratorio, audietur vesperum item vel ij,  
vel alia insignes personæ precibus ves-  
pertinis intererunt, musici veniant, qui  
sacras illas functiones pijs modulationi-  
bus decorent.

Cùm Reuerendissimum Archiepiscopum  
in oratorio cõcionaturum apud clerum  
percipiet, cathedra de more ornetur.

Cùm Matutinum officium cæteraque ho-  
ræ Canonica à familia inferiore per-  
soluentur in oratorio, tum diuinum offi-  
cium vbique dirigatur ab eo, qui fuerit  
in digniori ordine positus: quo tempo-  
re clerici à secularibus hominibus cho-  
ris distincti sint, chori que ipsi alteri al-  
teris vicissim respondeant.

Post pûcta quæ meditanda vesperi pro-  
ponentur, detur liber ei, qui in toto cæ-  
nu præstat, qui precationem alta voce

ex eo recitet, & ea finita, tribusque da-  
tis campanæ signis Angelicam salutatio-  
nem ter dicendam esse commonefacien-  
tibus, afferatur eidem vasculum aquæ san-  
ctæ suo cum aspergillo: Ille verò ad sub-  
sellia quæque comect, omnesque aqua  
sancta aspergat; dumque id fit, vericula  
illi illum dicant ac repetant, [Asperges  
me domine hyssopo, & Gloria pat. &c.]  
Si verò Reuerendissimum Archiepisco-  
pum, aut aliam præstanti dignitate per-  
sonam in oratorio adesse contigerit, li-  
ber ad illum à Canonico maiori Dia-  
cono, & aspergillum similiter à Sacer-  
dote maiori, vasculum verò à cubiculario  
deferatur.

At si neque ipse Archiepiscopus, neque  
alius dignitate insignis adsit, tum libri,  
aspergilli, vasculi afferendi manere san-  
gatur clericus oratorij, vnà cum alio qui  
ex toto illo cætu præstantior extiterit:  
Propterea cùm adierit Vicarius Gene-  
ralis, ipse fungatur officio; quo absente,  
Præpositus; & eo item absente, Præ-  
fectus spiritualis: quo quidem etiam ab-  
sente, Sacerdos qui præstantior extiterit.

De Clerico Oratorij.

**C**lericus Oratorio inseruiens, om-  
ni religionis studio ministerium  
suum obeat, diligenterque exequatur.  
Rerum diuinarum in primis cultum, &  
sacræ supellestilis nitore studiosè curet.  
Cùm præterea ipse alios ad orationem,  
spiritualesque exercitationes inuitet, sua  
præsertim interesse meminerit, cæteris  
omnibus deuotiorum religiosiorumque  
esse oportere.

Quotidie oratorium verrat; puluerem  
à sedibus excutiat; Altare præparet; su-  
pellestem mundam nitidamque con-  
seruet, & diligenter custodiat.

Hora à præfecto spiritali præscripta  
quotidie sub auroram trino campanæ  
signo ad matutinum officium familiam  
vocet: sintque campanæ signa, quarta  
horæ parte inter se distincta.

Suo item tempore, signo campanæ dato,  
inferiorem familiam ad exercitationem  
Doctrinæ Christianæ quotidie inuitet.  
Peracta oratione vespertina, quæ post  
enunciata pûcta meditationi deserviat.



Ha secretò subsequetur; tribus campanarum ictibus Angelicam salutationem ter dicendam esse significet.

Vespertinae orationi, cum neque Illustrissimum Cardinalem; neque alium praesulem, aliumve praestanti dignitate virum adesse in oratorio contingeret; tum librum, aspergillum, & vasculum a quoque benedictae illi afferat, qui ex caetu praestantior fuerit.

Cum Illustrissimus Dominus in coenaculo non aderit, nec praesul alius, alia ve insignis persona; ad vtranque mensam ipse legat.

A prandio statim prima mensa confecta, in oratorio praesul sit, ut Litanis enunciandis, & Vesperarum & Completorii officijs persolvendis vna cum alijs intersit. Quotidie summo mane, cum Reuerendissimus Archiepiscopus domi aderit, Praesulum oratorij conveniat, a quo sane perquiret, num ipse Dominus in oratorio vel Ecclesia maiori, vel alia sacrum sit facturus; ut vel oratorium intruere, vel sacram suppellectilem aliò deferre possit, quò ille est iturus.

Id ipsum praesul, cum apud eundem Archiepiscopum Praesul aliquis hospitabitur. Cum sermonem, concionem ve in oratorio cum clero Reuerendissimus Archiepiscopus erit habiturus, subsellia quae decet ratione disponenda curabit.

Verum tum quoque cum Reuerendissimus Archiepiscopus aberit, reclusum mane oratorium & Altare de more instructum quotidie asseruabit, ut si qui sunt Sacerdotes domestici, qui ibidem sint celebraturi, ipsis pateat aditus, & suum tribuat officium.

Quibus hebdomadae diebus Metropolitanus Theologus conscientiae casus in oratorio explicaturus erit, stata hora adsit, signoque campanulae convenientem Clerum in oratorio conuocet.

Cum ad Matutinum officium, caeterasque horas canonicas, & Litanias item persolvendas, stas horis in oratorium conueniet familia; tum canistrum statim arripiat copia libellorum refertum, quos officiola Beatae Virginis Mariae appellant, eorum item in quibus Litaniae perscriptae sunt; quorum singulis singulos per sua quaeque subsellia distribuatur, quos

deinceps omnes, vbi ad staem ventum erit, asseruandos colligat.

Tum rursus quoque, cum vnaquaque sexta feria eidem familiae ad disciplinam exercendam flagella erunt distribuenda, eadem quippe ratione se gerat.

DE GVBERNATIONE Rei familiaris.

Pars Secunda.

Familia omnis, cuiusvis gradus existat, in vnum ac eundem locum, cui nomen coenaculi datur, ad cibum capescendum decenter conueniat.

Quia verò totum non capiet vnus idemque & eodem tempore locus vtriusque familiae conuentum, prima secundaque instruetur mensa; ut qui primae minores possunt, secundae accumbant mensae.

Antequam quisquam discumbat cibum capturus, mane & vespere benedicat is, qui dignitate est praestantior: qui post epulas etiam Deo gratias agat. Tum quoque dum benedicitur, & gratiae aguntur, respondeant clerici, laicique omnes.

Cum verò aderit Reuerendissimus Archiepiscopus, a digniori Canonico Ordinario Tabella deferatur, in qua variegata notata benedictionis formulae pro temporum anni ratione. Idemque fiat, si personam aliam ecclesiastica dignitate insignem adesse contigerit.

Quoties Reuerendissimus Archiepiscopus aut Praesul alius tum aderit in coenaculo, Praepositus, vel Vicarius, vel praestantior alter ex ordine (praeter Vicarios, caeterosque Tribunalis Officiales) assistat mensae; cuius erit munus, mensas circumcirca prospicere, & singulos obseruare accumbentes, ut cibos maturè afferri, & quae illis praeterea opus esse viderit, apponi curet.

Per totum edendi tempus tum mane tum vespere, si nullus ex Seminario venerit adolescens concionem aliquam aut orationem latinam habiturus, lectio sacrorum librorum adhibeatur: primum verò legatur vnum ex sacris Bibliis caput; post, alterum ex Martyrologio, quod ad diem sequentem pertineat; demum aliquod ex pio libro aliquo, qui Italico

R r a ser-